

praedicta civitate recedere possunt et debent libere impedimentis omnibus procul motis; eo tamen adiecto moderamine, quod si aliquis vel aliqui dei timore postposito pacem, quam generaliter omnibus advenientibus praedictis tribus diebus durantibus facimus, violaverint vel facinus aliquod commiserint vel alio modo quocunque aliquos in rebus aut personis turbaverint, illis praedicta libertas non debet aliquatenus suffragari, sed in eosdem nostrae pacis turbatores debet nostri iudicii autoritas seu potestas secundum delicti et excessus quantitatem efficaciter exerceri. In cuius rei testimonium et robor dari fecimus praesens scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum Dresden anno domini M. CC. XCIX Idibus Julii.

Nach dem Lib. privill. I. fol. 56 im Rathsarchiv zu Dresden.

Hasche Urkundenb. S. 50. — Neubert Vortr. üb. d. Rechtsverhältn. d. alt. Elbbr. S. 148.

No. 14. 1299. 17. Aug.

*Friedrich Herr von Dresden erlässt zu Erläuterung gewisser Artikel des 'Dresdner Stadtrechts, welche zu Zweifeln und Meinungsverschiedenheiten Veranlassung gegeben, Bestimmungen über Ausübung des Richteramts, Eid der Gäste (Fremden) und Bürgenbestellung, bestätigt der Stadt alles Recht, welches sie zu Zeiten seines Vaters gehabt hat, untersagt dem Stadtbüttel das Eingreifen in Rechtssachen der Landherren, wenn nicht zugleich Dresdner Bürger rechtlich interessirt erscheinen.*

Fridericus dei gratia dominus de Dresden illustris domini Heinrici quondam Misnensis et Orientalis marchionis iunior filius omnibus praesentes inspecturis notitiam subscriptorum. Cum secundum legis praecepta alter alterum in suo iure indebite laedere non debeat sed quilibet unicuique ius suum tribuere teneatur, universis Christi fidelibus tam aevi praesentis quam futuri cupimus esse notum, quod cum cives nostri in Dresden suo iure municipali multis retroactis temporibus usque ad haec tempora usi sint, quia tamen iidem super quibusdam articulis specialibus inter se haesitare et dissentire videntur, eosdem articulos ipsis expresse duximus praesentibus declarandos. Volumus igitur et statuimus, ut nullus iudicum nostrorum Dresden qui pro tempore fuerit aliquem in cypum truncum aut compedes ponat vel compeditum teneat vinculis mancipatum vel ab aliquo emendam aliquam seu mulctam occulte aut manifeste pro aliquibus excessibus seu causis iustis vel iniustis recipiat sine scitu et praesentia iuratorum, et quicumque sine culpa intruncatus vel compeditus aut alias captus fuerit, si a nullo accusatus fuerit vel inculpatus, tertia die dimitti debet a captivitate libere absolutus. Nolumus etiam, quod dictus iudex noster de aliquo occulte vel manifeste solus et exclusis iuratis nostris iudicium faciat vel aliquem ad se ad iudicium vel coram se evocari faciat, nisi de iuratis aliqui sint praesentes. Praeterea si aliquis hospes vel extraneus incusatus de aliquo fuerit aut sibi quaestio aliqua mota fuerit, quam idem negaverit, si deficientibus fideiussoribus cautionem ad standum iuri facere non poterit et se per iuramentum suum expurgare voluerit, volumus ut iuramentum suum recipiatur et nulla alia poena vel impedimentum aliquod eidem inponatur. Ad haec si aliquis compulsus propter delictum aliquod vel excessum aut aliquam causam